


R. P. D.

VICECOMITE

Polocen. Bonorum.

Lun, 24. Januarii 1752.

1 RES judicata ex duplici Rotali Sententia suborta approbans Donationem piissimi, ac invicti Poloniæ Regis Stephani Battorei, qui post recuperatum cum insigni Victoria à Moschorum Principe Palatinatum Polocensem in hæresim miserè prolapsum, Templa, Possessiones, Ecclesias, & Bona omnia olim Deo dicata, & ab Infidelibus Ruthenici Ritus prophanata, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in veri Dei cultum restituit,

eaquè omnia de anno 1582. donavit Inclitæ Societati Jesu, sùb lege erigendi tùm Collegium quinquaginta Religiosorum, qui ad extirpandam hæresim incumberent, tum necessarias Parochias, tùm Seminarium prò Adolescentibus, tùm Nosocomium prò Infirmis. Hæc, inquam, Res judicata in Devolutivo confirmata fuit in Rota *die 14. Maii elapsi anni*, universo suffragante Auditorio, juxtà legem primævæ Commissionis; Quamvis Florianus Hrebnicki Archiepiscopus Polocensis, nomine etiàm sui Cleri, judicium subire non curaverit. Cum autèm in vim novæ audientiæ adversus hanc resolutionem elargitæ novum hodiè fuerit restauratum super hac re judicata examen, tenacitèr persistente eodem Archiepiscopo, quamvis diù lacessito, & expectato, in sua contumacia, & nonnisi ulteriores postulante dilationes, responsum propterea fuit = *In decisis*.

2 Validitas, namquè rei judicatæ nunquàm fuit impugnata, illius verò justitia patentissima emergit, ex quo Ven. Collegium Societatis Jesu post jàm erectum Seminarium, & Nosocomium, plurimasque institutas Parochias, ac Templa ædificata, hæc omnia Bona pacificè retinet, ac possidet ab anno 1582. in vim præfatæ Donationis, quæ fuit tanta solennitate expleta coràm Senatoribus, & omnibus Regni Proceribus, & quæ de anno 1585. in Supremis Regni Comitiis ab eodem Rege fuit ratificata, & intèr solenniores Regni leges registrata, quæquè demùm de anno 1605. à clar. me. Cardinali Bernardo Macieouski Summi Pontificis Pauli V. Legato à Latere in Regno Poloniæ sub speciali S. Sedis Apostolicæ authoritate confirmata fuit. Hæc namque adeò longæva, & pacifica possessio longè trascendens Centenariæ metam nemo inficiatur, quod titulum undequaquè validum, subsistentem, & inelidibilem favore Possessoris subministret, ut ultrà *Rot. cor. Lancett. dec.* 1235. *num* 4., *coram Falconer. decis.*2. *num.*16. *tit. de Emphyt.*, consentaneè ad Decisiones præcedentium instantiarum, nempè *coràm bo. me. Cornelio* 21. *Junii* 1726. §.23., *cor. bo.me.Gamaches* 23. *Novembris* 1731. §.7., firmat *mea præcedens Decisio* §.3.

3 Efficacia hujusce centenariæ impugnari nèc poterat ex infectione tituli resultantis à defectu voluntatis, & potestatis in Stephano Rege donante. Defectus namquè voluntatis erui contendebatur, ex quo laudatus Rex motus fuerit ad donandum Ven. Societati Jesu Monasteria, Templa, & Bona, omnia, quæ olim ad Clerum Græci Ritus pertinebant sub ea falsa credulitate, quod essent *Bona regalia*, *& ad sui ipsius collationem, & Juspatronatus spectantia*. Cùm autèm Bona donata non sint *regalia*, *sed Terrestria*, nempè ab aliis, quàm ab ipso Rege præcedentèr collata in Ecclesias, & Loca Pia; eaquè de causa sunt omnimodè exempta ab annua præstatione er-

gà

gì Regium Ærarium, proptereà ex defectu voluntatis Regis donantis hæc Bona in Donatione comprehensa dici nequeunt.

4 Hujusmodi tamèn voluntatis defectus in anteactis instantiis sempèr oppositus, nullius sempèr momenti fuit reputatus. Perlustrato enim Regiæ Donationis Diplomate, tantùm abest, illam fuisse restrictam ad Bona regalia, ut immò in ea specialitèr, & nominatim comprehensa quoquè fuerunt omnia generalitèr *Bona Terrestria*, & à piis quibusvis Benefactoribus in Ecclesias, & Loca pia Ruthenici Ritus collata; Id namque præsefert tùm litera d. Diplomatis exprimentis *Villas*, *Prædi*., *aliaquè Terrestria Bona*, tùm Apostolica confirmatio Donationis peracta à Cardinali Legato à latere. Et quamvis in d. Donatione comprehendantur etiàm Bona regalia, & ad Regium Juspatronatus spectantia, non exindè tamèn excluditur comprehensio etiam Bonorum Terrestrium, quæ primitùs ad Ecclesias, & Templa Ruthenici Ritus pertinuerant, cùm de hisce quoquè specifica, & individua mentio habita fuerit; Præcipuè quià causa finalis donandi non fuit una, vèl altera Bonorum species, sed fuit firma, & inalterabilis Regis voluntas reddendi Deo Bona omnia, quæ jàm semèl Deo dicata fuerunt, ùt, mediante novi Collegii erectione, & dotatione, Catholica Religio restauraretur, & pristino decori restitueretur. Adeoùt hodierno restricto examine ad ejusdem Donationis subsistentiam, inutilis remaneat quæstio super qualitate Bonorum in ea comprehensorum, ut optimè respondet *Decisio diei* 4. *Octobris* 1726. §. *Ejusdemquè coràm bo. me. Cornelio*, & in altera *cor. cl. me. Card. Aldrovando diei* 7. *Februarii* 1729. §. 30. , 32. , *& sequen.*

5 Coæqualis levitatis est defectus potestatis in Stephano Rege donante, dùm donavit Bona pertinentia ad Clerum, & Ecclesias Ritus Greci. Quandoquidèm in facto absolutissimum est, quod Clerici Ritus Græci jamdiù in hæresim prolapsi, non priùs ad gremium Catholicæ Religionis remigrarunt, quàm de anno 1596.. Cùm autèm Stephanus Rex jàm de anno 1579. hæc Bona, & Templa devastata ab eorum manibus, armorum vi, & jure Belli vindicaverit, eadem Bona procul dubio in dominium, & potestatem S. Sedis, & Catholicæ Romanæ Ecclesiæ transiverunt ad *Textus apertos in Can. Didicimus* 24. *quæst.* 1. *Cap. Ad succidendas*, ibiquè *Glos. in verb. Schismaticos de Hæreticis in* 6. , *l. Manichæi C. de Hæreticis*.

6 Si itaquè idem Stephanus Rex de anno 1582. citrà animum abutendi sua potestate, ac disponendi de hisce Bonis tanquàm suis, ea expresè professus fuit S. Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi restituere, fundando, & dotando Collegium prò extirpanda funditùs hæresi, ac Catholica restauranda Religione; Si hoc Regis factum, adeò pium, & laudabile successivè approbavit Sedes Apostolica tùm expressa mediante confirmatio-

 ne

ne hujusce Donationis Cardinalis Legati àLatere in Regno Poloniæ, tùm etiàm tacitè per longævam, ac nunquàm interruptam observantiam annorum 140., profectò inutilitèr impugnari authumatur præfata Donatio ex defectu potestatis, sivè ex quo fuit simplex restitutio Bonorum facta Deo, & Romanæ Ecclesiæ ad extirpandam hæresim, & Catholicam Religionem propagandam; Sive quia tanquam confirmata à S. Sede in forma specifica, perinde censeri debet, ac si ab ipsomet Summo Pontifice expleta foret ad firmata *in Decisionibus aliarum Sententiarum*, *& in mea præcedenti* §.5. docent *Card. de Luc. de Regalib. disc.3. de Feudis*, *disc.5. utrobiquè num.9.* Rot. *in rec. decis.*145. *n.*4., *&* 5.*par.*7., *cor. Falconer. tit. de Benefic. dec.5. num.*17.

7 Nec dubitandum de specifica confirmatione S. Sedis super hac Donatione, eo ipso quod à Cardinali Legato à Latere fuerit Apostolica Auctoritate in omnibus approbata: Quæ quidem Confirmatio expleta à Cardinali Legato asserente ad id speciale habuisse à Sancta Sede Apostolica mandatum, dubium non est, quod confirmationi ab ipsomet factæ æquipolleat, ut, ultra relatos *in dicta mea Decis.* §.5., *&* 6., probant *Rot. decis.*817. *num.*52. *part.*18.*Recent.*, *& in Colonien. Iurisdictionis super Bono Iure* 29.*April.* 1744. §.7. *cor.RmoP.D.Thunn.*, *confirmata* 30.*Aprilis* 1745. §.4. *cor.Me*.

8 Hinc nil relevat, quod in Indulto legationis commissæ Cardinali Macieouski non adsit facultas approbandi Donationes de Bonis Ecclesiæ, quæ est Summo Pontifici reservata. Quoties enim prælaudatus Cardinalis ad eam confirmationem devenit non vigore generalis Indulti Legationis, sed illam explere professus fuit in vim specialium Literarum, quas ad hujusmodi effectum à Sancta Sede reportasse asseruit, absonum hodie videtur assertionem Personæ adeò qualificatæ tàm ratione Dignitatis, quàm muneris controvertere, etiamsi hasce speciales Literas in confirmatione non inseruerit; cùm novum non sit, quod Legatis, & Nunciis Apostolicis, præter generales facultates, seorsim aliæ quoque speciales elargiri soleant, ut de facto proprio testatum reliquit clar. mem. Cardinalis Aldrovandus, dùm Nuncius erat in Hispaniis, *in d. sua Decis.* §.10.

9 Duplici præsertim adstipulante circumstantia, quarum prima est, quod in Indulto Legationis Cardinalis Macieouski San. Mem. Paulus V. expresè jussit, quod in Concessionibus, Dispensationibus, aliisque gratiis plena præstaretur fides ejus assertioni, citra quod teneretur speciales facultates actui inserere; Unde si idem Cardinalis Legatus Donationem confirmare professus fuit *Authoritate Apostolica*, *qua fungimur*, *Nobis per speciales ejusdem Apostolicæ Sedis Literas*, *ad quarum insertionem non tenemur*, *concessa* =, jam nemo non videt, quod admodum impossibile videatur huic adeo qualificato Testimonio fidem adimere, ex quo hasce speciales Literas in actu Confir-

firmationis non inseruerit, ut observat *dicta mea Decisio* § 7.; Altera vero circumstantia est, quod hodie non agitur de re integra, vel de recenti expleta Confirmatione, sed de actu jamdudum completo, & effectuato, & per centum, & quadraginta annos observato, in quibus circumstantiis vanum propemodum videtur veritatem tùm specialium facultatum, tùm assertionem præfati Cardinalis in discrimen revocare, ut præcisè advertit *Rot. in d. Colonien. Iurisdictionis super Bono Jure* §.7. *coram Rmo P. D. Thunn.*, *& in Confirmatoria* §. 4. *coram Me*.

10 Huic expressæ Confirmationi consonat tacita, & virtualis deprompta ex observantia hujusce Donationis centum, & quadraginta annorum usque ad diem initi Judicii; Cùm enim ex vi centenariæ quicumque melior de Mundo titulus præsumi possit, ad tradita per *Carol. Anton. de Luc. de Apost. Reg. Assen. quæstion.*200. *num.*6., *Rot dec.*656. *num.* 89. *part.* 19. *Recent.*, idcircò nedùm ex hac adeo longævi temporis observantia probatæ remanent speciales facultates Apostolicæ Sedis, ex quibus Cardinalis Legatus Donationem confirmavit; Verum insuper eadem exuberat ad præsumendam ex integro superventam etiam ipsiusmet Summi Pontificis approbationem ex relatis *in dict. decis. clar. mem. Card. Aldrovandi* § 13., *& in d. mea ultima* § 8.

11 Citra quod huic centenariæ observantiæ opponi possit productio tituli Donationis, qui tanquàm invalidus ob defectum Pontificiæ Confirmationis adimat facultatem allegandi ex centenaria meliorem quemlibet de Mundo titulum; Ultra quod enim hæc tituli productio expleta fuit absque ulla restrictione ad illum, insuper titulus Donationis productus fuit non tanquàm ex se, habilis, sed unitim, & conjunctus cum ejus Confirmatione tributa ex authoritate Apostolica à Cardinali Legato; ideoque validus undique, & subsistens, nec ullo modo vitiosus reputari valet. Observantia verò centenaria, quæ allegatur ad removendas extrinsecas exceptiones, quæ huic Confirmationi opponuntur, non adducitur ad creandum novum titulum primi destructivum, sed ad illum semper magis, magisque confirmandum, & validandum, pro cujus effectu nemo est, qui ignoret, quod è conspectu hujusce centenariæ observantiæ quamlibet conticescere oportet oppositionem, ut in specie ponderat *Rot. dec.*218. *num.*18. *dec.*290. *num.*19., *& sequen. part.* 18. *Recent.*, *& in Placentina Decimarum* 16. *Maji* 1710. §. *Postremò cor. bo. me. Ansald.*, *& in dicta mea decis.* § 8.

12 Longè minus centenariæ efficacia debilitari poterat vel ex ignorantia Archiepiscoporum, vel ex molestiis variis temporibus illatis Collegio Societatis Jesu, signanter recursu ab Archiepiscopo habito de anno 1668. ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, quæ rescripsit = *Nuntio pro Concordia* =; Vel demùm ex quadam protestatione ejusdem Archiepi-

chiepiſcopi de anno 1701.; Ultra quod enim in diametro pugnat ignorantia Archiepiſcoporum cum moleſtiis ab ipſis illatis; Et poſt lapſum annorum centum nulla eſt amplius allegabilis ignorantia, dum ex adeò vetuſtiſſimo tempore perfecta ſcientia præſumptione juris, & de jure inducitur juxta firmata per *Maſcard. de probat. concluſ.* 1214. *num.* 52., *Cancer. var. reſolut. part.* 3. *cap.* 4. *num.* 160., *Rot. cor. Molin. dec.* 527. *num.* 7.

13 Inſuper cum agatur de Donatione eximia cum ſolennitate à Rege publicè, & palam expleta, ſe ſe eidem ſubſcribentibus Proceribus, & Senatoribus, in Volumine Legum Regni regiſtrata, & ab eodem Rege donante in Supremis Regni Comitiis, accedente omnium Ordinum conſenſu confirmata, ac præſtò quoque ſint tot ſonora facta Archiepiſcoporum Polocenſium, qui de annis 1595., 1599. judicialiter compulſi ad reſtituenda nonnulla Bona in hac Donatione comprehenſa, judicio quieverunt, & paruerunt, ſignanter vero illud B. Joſaphat Archiepiſcopi pariter Polocenſis, qui anno 1612., apprimè agnito bono jure Collegii Societatis Jeſu, illicò eidem reſtituit Prædium, quod retinebat, quodque in eadem Donatione erat comprehenſum, aſſerens id explere in obſequium veritatis, & juſtitiæ. Quibus propterea concurrentibus adeò qualificatis actibus tot præſtantiſſimorum Archiepiſcoporum, nedùm remanet excluſa quælibet ignorantia, ſed in immenſum excreſcit vis, & efficacia pluſquàm centenariæ obſervantiæ, quæ prò validitate, & ſubſiſtentia hujuſce Donationis militat, ut mirificè exornant tùm *deciſ. diei* 21. *Junii* 1726. §. *Itaque*, *tùm altera* 4. *Octobris ejuſdem anni* §. *Abſque cor. bo. me. Cornelio*, *& d. mea præcedens Deciſio* §. 11.

14 Reſpectu vero moleſtiarum, illæ, quæ fuerunt illatæ ab anno 1582 uſque ad annum 1596. à Theophanes Archiepiſcopo, omitti certè poterant, tum quia longiſſimè præceſſerunt centenariam poſteà effluxam, tùm & fortiùs quia prodierunt eo tempore, quo idem Archiepiſcopus, ac cęteri Ruſſiæ Epiſcopi erant adhuc hæretica pravitate infecti, ut probatur ex Teſtimonio Magnatum Palatinatus Polocenſis, Vittebeſcenſis, & refert *Card. Baron. in diſſert. de Ruthenis impreſs. tom.* 7. *annal. à num.* 5. *ad ſequen.*, & ex *Bulla San. Mem. Clementis VII.*, ideoque nullum jus ſuper eiſdem Bonis ſibi adſcribere poterant ex firmatis *in ſecunda deciſ. coram bon. mem. Cornelio* §. *Nec ſubſiſtere*, & in altera *coram clar. memor. Card. Aldrovando* §. 24.

15 Proteſtationes autem anni 1604., cum non proceſſerint à Clericis, vel ab Eccleſiis ad gremium, & unionem S. Sedis Apoſtolicæ reverſis, attendi non debent. Recurſus vero anni 1668. ad Sac. Congregationem de Propaganda Fide cum reſcripto ad Nuncium pro Concordia, eo nec amplius uti auſus eſt Archiepiſcopus ſui mali juris pleniſſimè conſcius. Reclamatio vero moderni Archiepiſcopi, quæ aſſeritur de anno 1701., quamvis non

prius

prius quam de anno 1725. expleta fuerit, utpotè emissa pendente jam hoc litigio, nullius efficaciæ reputari valet. Et demum cum hæc omnia non prætergrediantur limites actuum merè extrajudicialium, & verbalium conquestionum, nulla præmissa interpellatione, vel citatione Collegii, apta neutiquam considerari possunt ad vim, & effectum centenariæ intercidendum, ut unanimiter firmatum fuit *in d. decis. coram clar. memor. Card. Aldrovando* §.18., *& in altera bo. me. Gamaches* 23.*Novembris* 1731. §.*Nec vires*.

Et itā omnibus RR. PP. Suffragantibus resolutum fuit, unica &c.

ROMÆ, MDCCLII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.
Superiorum Permissu.